



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. 2. An nulla depositio testium, prius non publicata, fidem faciat in alio
judicio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)

1712. Quæstio ulterior est, an Testes, in alio iudicio producti, ut repetantur eorum attestationses, rursus debeant jurare, licet prius juraverint coram arbitro compromissario? Resp. quòd sic; nam licet acta *instructoria*, seu decisoria litis probent etiam in alio iudicio, quin in hoc repetantur; secus tamen est de actis ordinariis iudicii; ut docet Abbas in *cit. c. Presentata. 50. h. t. n. 6.* & Felinus *n. 7.* cum textus in *dict. c. 50.* solum loquatur de actis *instructoriis*; hinc cum transeundo ad aliud iudicium, sublata sit prior instantia, & hæc sublata debeat iterum præstari iuramentum (ut patet in causa appellationis ex *c. 2. de iuramento calumnie*) iuramentum testium repeti debet in nova instantia; sic Abbas in *cit. c. 50. n. 11.*

§. 2.

An nulla depositio testium, prius non publicata, fidem faciat in alio iudicio?

1713. Resp. id, quod diximus *n. 1711.* depositiones testium receptas in uno iudicio, sed non publicatas in eodem, non facere fidem in alio iudicio, in aliquot casibus limitari. 1. ut non procedat in Iudice subrogato, qui scilicet priori ante latam sententiam substitutus est; quia subrogatus censetur tanquam idem cum priori, ut colligitur ex *L. Mortuo. 60. ff. de iudiciis*, ibi: *mortuo iudice, quod eum iudicare oportuerat, idem eum, qui ei subditus est, sequi oportet*; ubi glossa *lit. E. subditus Iudex* dicitur; qui loco mortui datur iis, qui eum habuerunt Iudicem in aliqua re, vel lite; quod etiam habetur *L. proponebatur, 76. ff. eod.* ibi, *proponebatur, ex his iudicibus, qui in eandem rem dati essent, nonnullos causâ auditâ excusatos esse: inque eorum locum alios esse sumptos: & querebatur, singulorum iudicum mutatio eandem rem, an aliud iudicium fecisset? Respondi, non modò si unus, aut alter, sed & si omnes iudices mutati essent: tamen & rem eandem, & iudicium idem, quod antea fuisset, permanere.*

1714. Deinde probabilitate non caret eo-

rum opinio, qui tradunt, attestationses etiam non publicatas in priori iudicio, fidem facere in alio, si publicentur in isto ex scriptura Notarii super iis confecta in priori iudicio; tum quia vis probationum non pendet à *publicatione* (quæ solum facit, ut super iisdem disputetur) sed ex *qualitate Testium*, & *authoritate Notarii*; tum quia publicatio attestationsum non est coarctanda, sed potius amplianda ad eum, à quo, prout per Notarium descriptæ sunt, publicentur.

Limitari debet 2. ut non procedat, si factis legitime testificationibus, ante publicationem mortui sint testes, vel in longinquum abiverunt; sic Felinus in *dict. c. causam, n. 15.* Deinde, si ante litem contestatam recepti sint ad perpetuam rei memoriam testes senes, valetudinarii, vel ex alia causa; sic Felinus *cit. n. 12. 3.* ut non procedat, si consentiente parte Iudex publicare velit attestationses receptas à priori Iudice; nam hac ratione consentiens cedit juri suo; sic Farinacius, *de Testibus, 75. n. 25.* & alii.

§. 3.

An attestationses testium receptæ inter partes principaliter litigantes, publicandæ sint ad petitionem intervenientis tertii?

Ante resolut. not. quòd *interventio* fit litis, inter alios agitata, proprio motu facta participatio, vel, ut dicunt alii, est *tertiū alicujus ad causam, ab aliis motam, intercessio pro suo jure, litem etiam in se derivando*, quo distinguitur interventor (qui proprie Tertius *oppositor* hic dicitur) ab eo, qui intervenit, & alienam obligationem in se suscipit pro alio intercedendo, vel fidejuben-
do. Potest autem Tertius intervenire, vel solum *assistenter*, ut Actori, vel Reo assistat ratione sui interesse, ut colligitur ex *L. 5. ff. de appellat.* vel *principaliter*, ut pro suo interesse, & commodo litem in se assumat, excluso Actore, vel Reo; de quo *L. 14. ff. eod.*

Not. 2. *intercessionem* fieri posse etiam coram Iudice delegato, idq; propterea, quòd jura non admittant, ut con-